



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ,
puræ statu & viribus eruitur & explicatur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

19. Idem pudor in omnibus libidinibus etiam animi, tametsi remissior locum
habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13673

tutione nobis inesse diceret, & ideo quia naturales, non esse dicendos malos, nec indecentes, ideoque neque primos parentes eorum in sua nuditate puduisse nec pudenda texisse. Augustinus est contrarius, omnino proficitur verum esse, quod si à Deo naturam humanam primitus condente promanasset isti turpes motus, neque malos, neque pudendos posse nuncupari, ne alioquin blasphemia illa rediret in Deum quod ipse esset autor tam horrendi mali, quo nullum in hac vita virtus acerbius patitur, quodque creatura velut honestior Creatore de operibus sui Creatoris erubesceret. Sed quia indubitata est Catholica fides motus istiusmodi di-

A splendere Deo, esse malos, illicitos, pudendos, inhonestos, ut extrema sit impudentia, de illorum sceditate non erubescere, invidetè concludit Augustinus commentum istud puræ naturæ in qua fatente Iuliano perinde, ut in præfenti statu, eadem esset carnis cum spiritu lucta, eadem libidinis cum virtute repugnantia, eadem erubescendi de tanta sceditate necessitas esse chimericum, impossibile ingratum & irreligiosum adversus Deum, neque posse nisi blasphemia opinione sustineri. Et merito sanè quisquis illum statum cum Iuliano velut possibilem ad huc tueri cupit, illud Augustini sibi in illo dictum exultimare debeat; *Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus.*

Lib. 6, c. 15

Lib. 4, cont. Iul. c. 12.

CAPVT XIX.

Idem pudor in omnibus libidinibus etiam animi, tametsi remissior locum habet.

QUÆ hæcenus de concupiscentia respectu puræ naturæ diximus, in libidine quidem illa carnali & obscenissima & notissima maximè vera esse patet, in omnibus tamen concupiscentiis contra spiritum militantibus quadam quidem obscurius, alia tamen evidentissime locum habent. Nam & in illis animus graviter rixatur & pugnat secum, & per illas nihil aliud nisi voluptates carnales appetit. *per a phrasim a postolicam, Caro concupiscit adversus spiritum,* & ideo nihil nisi peccare desiderat, quæ tamen desideria quia in illo statu sunt naturalia & ex institutione Dei, perinde necesse est esse licita & bona, & consensu creaturæ rationalis naturam sequentis approbanda & explenda. Accedit quod & pudor arguit eos ex institutione Dei non posse proficisci, ne opus Creatoris pudendum sit creaturæ. Nam & aliarum cupiditatum rebellionem erubescendam esse rationi, quæ partibus illis vitiosis ad nutum obtemperantibus imperare debet, tunc maximè patet cum valde exorbitanter animum hinc inde insipientibus commoverent. Hoc enim omnis probus erubescit, improbus majori probro non erubescit. Cur autem de illarum cupiditatum motibus minus quam de illius sceditissimæ libidinis obscenitate erubescamus, causa manifesta est, quia animus in ea neque sibi, ut non libeat, neque corpori, quod ei servili conditione subiectum est, ut non moveatur, imperare potest, quod in ceteris cupiditatibus non habet locum. Nam seipsum quidem superare non potest, ut

A non suâ cupiditate titilletur, corpus tamen non movet, nisi eum voluerit, & quantum voluerit. Ex quo efficitur, ut in corporis obtemperantis motu nullus pudor sit, in animi pugna tibi ipsi rebellantis exiguus. Quia si seipsum non superat dum concupiscit in vitus, etiam vice versa non nisi à seipso superatur: Quod quidem minus ei pudendum est, quàm si corporis ei subiecti rebellique vinceretur, pudendum tamen esse non est dubium, ideoque esse non posse ex institutione Dei quæ de re præclare sanctus Augustinus in libris de Civitate Dei: *Verum tamen hæc libidine quæ nunquam magis erubescenda existit, quod antequam in ea nec sibi effraactè imperat, ut omnium non libeat: nec omnimodo corpori, ut pudenda membra voluntas potius, quam libido commoveat. Quod si ita esset, pudenda non essent. Nunc vero pudet animum resisti sibi à corpore, quod ei natura inferiore subiectum. In alijs quippe affectionibus eum sibi resistit, ideo minus pudet; quia cum à seipso vincitur, ipse se vincit, etsi inordinato atque vitioso: quia ex his partibus quæ rationi subiectæ debent, tamen à partibus suis ac per hoc à seipso vincitur. Et mox iterum: Minus tamen pudet, eum sibi animus ex vitiosis suis partibus non obtemperat, quam cum ei corpus, quod alterum ab illo atque infra illum est, & cuius sine illo natura non vivit, volenti iuberique non cedit.* Quibus luculenter docet Augustinus etiam in ceteris cupiditatibus animo repugnantibus naturalis pudoris esse locum. Pudendum est enim animo inferiora superioribus in seipso pervicaciter reluctari.

lib. 14, de Civitate.

Ibid.

CAPVT